



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. I. Vtrum Christus, cum addito: in quantùm homo, vel etiam
Absolutè, & sine addito possit dici Creatura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CAPVT IX.

DE QVIBUSDAM PROPOSITIONIBVS,
MODISQVE LOQVENDI CIRCA MYSTERIVM
INCARNATIONIS.

CONTROVERSIA I.

Verum Christus cum Addito : in quantum homo : vel etiam Absolutè & sine addito possit dici Creatura.

QUoad primum S. Thomas distinguit q. 16. a. 10. & docet, hanc propositionem : *Christus in quantum homo est creatura* ; esse veram : quia propriè loquendo reduplicatio illa cadit supra Naturam. Si verò diceretur : *in quantum hic homo* , fore falsam, quia tò *hic* , reduplicaret Suppositum, quod non est creatura.

382. DICO tamen, utramque propositionem habere verum sensum. De priore probatur. Quia reduplicatio in eum finem additur, ut denotetur discrimen inter duas Naturas, quæ sunt in Christo : ergo perinde est ex intentione loquentium, ac si diceret : *Christus secundum Naturam humanam est creatura*, quæ est utriusque vera : sicut nemo reprehenderet dicentem : *Homo secundum Corpus est subiectum sustentans accidentia materialia*. Secunda verò propositio, probatur esse vera ex fundamento contrario illi quod assumpsit S. Thomas. Nam particula *Hic*, addita concretis Naturæ, determinat seu designat hanc determinatam in individuo Naturam. Sic dicitur : *Hic Deus est Pater, est Filius, est Spiritus Sanctus*. Vnde si tres Personalitates assumerent eandem naturam, de qualibet Persona esset verum dicere ; quòd sit hic homo : ergo in hac reduplicatio : *in quantum hic homo* ; reduplicatur potius Natura quàm Verbum, quia sensus est : *in quantum habens hanc naturam*. Imò ut bene notavit Vasquez, in hac propositione : *Christus in quantum Homo* ; non continetur reduplicatio propriè dicta, sed potius specificatio. Reduplicatio enim tunc propriè continetur, quando repetitur idem terminus : v. g. *Homo in quantum homo*. quando verò est alius terminus : ut : *Christus in quantum Homo* ; specificatur una pars ut contradistincta ab altera. Et hæc circa primam partem tituli.

Quoad secundam partem, an Christus absolute, & sine addito possit dici *Creatura* : negant S. Thomas 4. con. gen. c. 48. Ferrariensis, Richardus & alij Thomistæ communiter.

Conveniunt autem Theologi, ab hoc loquendi modo esse abstinendum, propter hæresin Arianam, quæ negat Christum esse Deum, & hoc sensu dixerunt esse creaturam. Secluso tamen Scandalo, & attentâ solâ verborum proprietate, affirmant illam propositionem habere verum sensum S. Bonaventura, Cajetanus, VValdenfis, quos sequitur Vasquez. Et sanè videtur denique etiam fuisse sententia S. Thomæ, qui art. 8. solum vult abstinendum esse ab illa propositione, ne detur occasio erroris Ariani, sicut non est dicendus Christus incorporeus, ne videamur sentire cum Manichæis, licet propriè possit Christus dici *Incorporeus*, sicut *Immortalis*.

383. Ego distinguerem æquivocationem vocis *Creatura*. quæ potest habere sensum abstracti, & sensum Concreti. In sensu Abstracti ; propositio est falsa : quia sic rectum subiecti & rectum prædicati non sunt idem. In sensu Concreti, quatenus significat suppositum habens Naturam creatam, est manifestè vera. Quòd autem in hoc sensu usurpata sit à SS. PP. facile constat ex eorum verbis, quæ ad longum refert Vasquez : & sic videntur conciliari cum alijs, qui eandem propositionem videntur disertis verbis improbare.

Hinc etiam colligitur, quo sensu usurpanda sit hæc propositio : *Christus in quantum homo, incepit esse* : vel absolute : *Hic homo cepit esse*. non enim alio sensu quàm specificante ipsam naturam humanam, ejusque cum Verbo conjunctionem, quia non habet alium sensum quàm habeat ista : *Deus factus est homo in tempore* : sicut hæc propositio : *Hæc domus cepit esse hoc anno*, non minùs vera est quàm hæc : *hi lapides ceperunt hoc anno esse hæc domus*.

V V V 2

CON

CONTROVERSIA II.

Utrum Christus dici possit Vnus, an Plures, Vnum, an Plura.

Durandus docuit, non posse rectè dici, *Christus est Vnum*: sed debere dici: *Christus est Vnus*. Verùm ipse Christus dixit: *Ego & Pater Vnum sumus*: S. Bonaventura videtur sensisse, Christum posse dici *Plura*, neutraliter, non verò *Plures*. dicit enim, Christum esse aliud de Matre, & aliud de Patre, non tamen alium & alium.

384. Dicendum est 1. Christum nec posse dici *Plures*, nec *Duos*. Ratio est, quia Pluralitas masculinè prolata cadit supra Personas: atqui in Christo non est pluralitas Personarum: ergo non potest dici: *Plures*.

Dicendum 2. Neque posse Christum neutraliter dici: *Plura*; aut *Duo*. Ratio est, quia licet neutrale cadat supra Naturam, & in Christo sint duæ naturæ, cadit tamen simul etiam supra

Personalitates, & ideo plus requiritur ad vocandam pluralitatem neutraliter, quam masculinè prolatam. Quia ad hoc quod est; esse plures requiritur illa non esse vnum: atqui vñ est vnum, idemque suppositum, etiam si sint duæ naturæ, simpliciter est vnum, quia naturæ illæ conveniunt in vnum, & physicè conjunguntur in vno supposito, vt faciant vnum: quæ autem simpliciter & absolute dicuntur & sunt vnum, non possunt rectè simpliciter & absolute dici plura, vnum enim & plura opponuntur.

DICES. Aliqui SS. PP. dixerunt, Christum esse aliud & aliud: sed hoc idem est, ac dici plura. 2. Ex mente S. Thomæ, Sanctos Patres non fuisse locutos secundum proprietatem sermonis, sed ad hominem ita locutos esse como Euthychianos, qui negabant dualitatem naturæ: hæc autem simpliciter non sufficit, vt Christus dicatur propriè aliud & aliud, sicut etiam Christus non dicitur Humanitas & Divinitas, sed Deus & Homo.

CAPVT X.

DE SACERDOTIO CHRISTI.

CONTROVERSIA I.

Secundum quam Naturam Christus sit Mediator & Sacerdos.

Christum esse Mediatorem, habetur in SS. Litteris ad Gal. 3. & alibi. Diversimodè autem hoc à SS. PP. intelligitur. Primò, quatenus in Christo copulantur duæ Naturæ, vt sit vna Persona. Sed hic sensus est minùs proprius: sic enim Christus rectius diceretur Medius inter Deum & Hominem, quàm Mediator. Alio igitur sensu Mediator est nomen Officij, prout etiam hodie dicuntur Mediatores illi, qui ad Pacificationes Principum adhibentur.

Officium Mediatoris tribus modis exerceri potest ac solet; vt observavit Vasquez. Primò enim accipitur pro Iudice seu arbitro dijudicante causas partium. Et in hoc sensu ratio Mediatoris non convenit Christo in omni rigore. Arbitri enim consensu partium constituuntur: Christus non est constitutus nisi à Patre: arbitri iudicant secundum merita causæ, & reum condemnant: Christus cum hominem condemnare deberet, in se reatum expiandum suscepit. Secundò Officium Mediatoris idem est quod Proxenetæ, qui inter partes desert ab vna ad alteram pacta & conventiones, quo sensu Moyses de seipso

dicit Deutr. 5. *Ego sequester & mediator fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annuntiares vobis verba ejus.* & de eodem dicitur ad Galat. 3. *Datus est lex per Angelos in manu Mediatoris, quo sensu dicitur Christus Mediator Malach. 3. & Angelus (hoc est nuntius) Testamenti.* Eodem sensu Chrysostomus dicit, Christum Mediatorem factum esse, quia sermones detulit, & attulit ea quæ à Patre mittebantur perferens ad nos.

Tertiò dicitur esse Mediator, qui pro vna parte apud alteram preces interponit, & supplicando conciliare nititur, vel denique etiam interficit pro culpa alterius; & hoc sensu clarum est, Christum esse Mediatorem, diciturque Mediator Novi Testamenti ad Hebr. 12.

385. Quæritur 1. Secundum quam Naturam Christus exercuerit officium Mediatoris & sacerdotis. Primus error fuit Calvinii, asserentis, secundum veramque Naturam, tam divinam quàm humanam, hoc officium Christo convenisse, & ab eo exercitum fuisse. ita docuit in duabus epistolis datis ad Polonos, & Petrus Martyr ejusdem affectu itidem in duabus epist. ad eosdem Polonos.

Secundus